

416 Q. D. B. V.

DE

SP. [S] 171
1928 K 944

VIRTUTE HE- ROI CA, SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS FRIDERICI

Schultzen / Jutreboc. Sax.

publicè disputabit

JOHANNES GEORGIUS Schubart /
Steinà - Silesius

In Auditorio Minori

Die XXX. Maj.

Horis matutinis.


—
—
—
—
—


VVITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS BORKARDI, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXIV.

1674

7008





Quæstio I.

Quo in loco debeat tractari virtus heroica?

Non immerito hæc controversia ventilatur, cum alii sint, qui hanc virtutem ad Theologiam referant; Non igitur huic immorabitur, in quanam disciplinā debeat tractari, quia certum, virtutem heroicam æque esse virtutem moralem, ac reliqvas, id quod in peculiari tradetur controversiā; sed saltem observabimus ordinem, si spectemus tractationem Ethicam. Hactenus enim, vidimus, tractationem de virtute heroicā instituti loco omnium ultimō, & quidem non sine ratione, quia à vulgaribus ad singularia est progrediendum. Virtus heroicā igitur cum sit communis reliquis omnibus primo loco inter omnes virtutes tractari non debet, sed potius omniū, l. ultimō quia est complementum & perfectio omnium virtutum reliquarum. Ergo etiam omnium ultimō tractanda est. Maj. in dubium non vocatur. Min. ex sententia Philosophorum firma, quia vocatur summa perfectio, complementum virtutis; Liebenhal. ex e. Ethic. 14. tibef. i. II. Ab ordine doctrine. Cujuscunq; disciplina methodus requirit, ut magis nota præmitantur ignorantibus. Illa etiam requirit, ut virtus heroicā primō non tradatur. Atq; Ethicæ methodus Ergo Maj. confirmatur, quia virtus est eminentia atq; fulgor omnium omnino virtutum, ut eleganter res illustrat Piccol. grad. VI. c. IV. p. 536. cuius verba adscribere licet: Cum itaq; virtus heroicā sit splendor civilium & moralium vi-

A 2

878

sutum; non injuria carmina illa, quibus preclarafacinora illustratum virorum celebrari consueverunt, heroica nuncupantur. Et quoniam in omni morali virtute eminentia & fulgor locum habere possit, propterea in omni virtute moralis heroica dignitas valet res fulgere; prefertim tamen in virtute universâ, que eadem est cum universa justitia; id est ei congruit potius, ut est universa justitia, quam ut est universa virtus, cum ea consideratio huic preferatur. Ita Rhadamantus Rex Lycie, quia bac eminenti justitiâ refulsa beros, ac Jotis ex Europâ filius singitur. Minos quoque rex Creta, qui primus Cretensibus leges dedit, ob tandem illustram justitiam inter heroes celebratur. Similiter variis Italâ principes, qui sibi creditos populos eximiâ caritate & justitia regunt, se meritissimos heroes patofaciunt. Hæc ille.

Quæstio II.

An virtus heroica specie differat à reliquo moralibus?

S. I. Priusquam ad nostra quæstionis decisionem accedamus, prælibare luet, quid sit virtus heroica, ubi notandum, quod virtus heroica sit habitus animi, divinitus quibusdam concessus, ad ejusdem actiones perficiendas, quæ alioquin solis humanis viribus praetari non possunt. *Nomen itaq; est virtus heroica*, duplice vocabulo expressum, concipiendum tamen uno conceptu, quia res verò una est. Dicitur *virtus*, quia est habitus moralis, mediocritate, quæ secundum nos est, determinatus. *Heroica* appellatur, nomine ex græco idiomate ad scito, ubi dicitur ἥρωιν, quia latini eam non satis exprimere potuerunt, teste Keckerm. System. Ethic. p. 344. ut exinde variae ortæ sint vocis ἥρως derivationes, quas videre est apud Petr. Höppeneri Exercit. Ethic. ἀγνοιστ. 16. Ratione variae acceptio sumitur partim abusivè, ac tribuitur tum artibus mechanicis, tum dotibus physicis, tum habitibus virtutis, quando ual' ἄντι φέρετ quidam & per ironiam dicuntur heroes in potando, luxuriando, ludendo &c. partim theologicè, quando

quando aliquis hæreticis resistendo, ipsamq; veritatem ac reli-
gionē defendēdo, præ aliis suam insigniter locat operam; partim
philosophicè, in qua acceptione heroes appellantur, qvia sua for-
titudine patriam l. defendunt l. ejus salutē resti tuunt, & sic respi-
cit fortitudinē, reliquis tamen virtutibus non exclusis, ut deinde
in propria significatione denotet habitum, divinitus concessum
& humanis exercitiis confirmatum. vid. Excellent. Dn. D.
Deutschman Exercit. Et hic. 23. Synonyma varia apud Autores
reperiuntur. Philos. dicitur ἡ ὑπὲρ ηὐεξ ἀγενήσιον καὶ θεῖα
h.e. virtus, qvæ supra nos, heroiaca & divina, τιμωτέρους ἢ μητέρης h.e.
præstantius virtute (humana): cum excellentia hac virtute prædicti
sint Deiōt aīdōpēs potius, qvam homines sint judicandi, n̄ τὴν θηριώ-
δειαν αὐτην θεμένη εἴχει vid. 7. Et hic. c. 1.

S. 2. Genus sicut in reliquis, ita etiam in hac virtute sta-
tuitur habitus, inde sortitus nomen, qvod habeatur à subjecto
eā lege, ut id faciliter ad operandum, quando per crebras actio-
nes est acquisitus. Assumant stoici perturbationum evulsio-
nem; fallunt certè & falluntur. Falluntur, qvia falsoam hypo-
thesin prælupponunt, virtutem scil. cum affectibus consistere
non posse omnesq; affectus virtutibus esse contrarios, qvæ
ἀρωτα. Fallunt, qvia spurium genus pro legitimo imperitis
obtrudunt. Contradicant operationis propugnatores, ea ta-
men tanti nobis non erit, ut generis loco dignemur. Nam pa-
lam est, genus definitionis respondere materia tanquam pars
essentiali, ceu differentiam formæ, aut contra, ut maximè in ha-
bituum definitione. Qvare oppido patet, operationem id no-
minis mimine mereri. Non enim operatio ad virtutem ipsam
ceu pars essentialis reqviritur, nisi velis ineptire, neminem vir-
tute instructum esse, qvi non assidue virtuosè operetur.

S. 3. Differentia exhibet l. Causam efficientem, qvæ vel
prima, vel secunda est. Illa est solus Deus neutiquam Diabo-
lus, qvamvis enim multa ac mira præstet, virtutem tamen he-
roicam minimè conferre potest, qvia non est creatæ potesta-
tis, & illud innuitur quando in definitione assertur, virtutem
heroicam divinitus concedi. Hæc vel mediata vel immedia-

ta. Mediata est vel remota , vel proxima, Remota est vel
principalis, sc.voluntas, vel minus principalis , ut temperamen-
tum & dispositio corporis peculiaris. Propinqua est Electio.
Immediata denique causa est actio , conatus, & executio , mul-
tus itidem & constans labor. II. Subjectus. materia in qua virtus
est heroica, qva duplex est denominationis & informationis. Hoc
virtuti heroicæ commune cum aliis virtutibus , nimirum sedes
perturbationum , appetitus volens & voluntas appertens , Ubi
enim est morbus, ibi applicandum est remedium. Ubi est ma-
teria , ibi etiam suscipitur forma. Denominationis a. subjectum
est totus homo. Ubi notandum qvod hæc virtus non sit com-
munis, sed singularis, non omnibus convenientia hominibus , sed
qvibusdam saltem, ut in definitione dicitur. III. Formam , qva
est, heroicè, hoc est , supra humanam conditionem atque adeo,
ut Kecker. Syst. Ethic. p. 347. can. 9. loquitur , cum admiratio-
ne perferre adversissima qvæq; & qvibus alii homines misere
succumbunt, sicq;e humanam conditionem vincere, ut etiam in
summis miseriis decus tum persona , tum virtutis suæ heros
tueatur; Unde Piccolom. grad. 6. c. 3. expositurus eminentiam
Virtutis heroicæ in hæcerumpit verba: In formanda sua essentia
trinus graduum consideratur ordo: primo enim tangentiam principi-
um oecurrat continencia & tolerancia, qvibus ineontinentia & mol-
lities opponuntur. Hic tangentiam medium succedit virtus moralis ,
cui virtutem adversatur: sequitur demum ut finis virtus heroicæ, cui
feritas opponitur sive immanitas. IV. Effectum , qvod ius actiones
virtus heroicæ perficiat. Qvia enim virtus non in ydore
sed περὶ τοῦ consistsit, neq;e tam ἡγούμενη qvam χεῖται respicit, ideo
virtus heroicæ etiam ad hanc tendit actionem , suamq; virtuo-
sam naturam non tam ἡγούμενη qvam χεῖται ostendit, ac perficit
suas actiones non perfectione tantum naturali & physicā , hec
enim licet præstantissima sit, non tamen eam hoc verbum potis-
simum respicit, neq; perfectione solā morali & Ethicā , qvæ scil.
hominis est , & in omnibus virtutib; reperitur, qvia perfe-
ctio hæc illa communi longè est major & excellentior; sed
perfectione singuli & heroicæ cum verba secundum substrata-

tam

tam materiam sint in telligenda, uti recte judicavit Excell. Dn.
D. Deutschmann l.c. §.19.

§. 4. His ita præmissis faciles asserimus, *Virtutem heroicam à reliquis virtutibus specie non differre*. Qvod his munire possumus rationibus. I. Qvæcunque differunt tantum secundum magis & minus, illa specie non differunt. Atque virtus heroicæ & virtus moralis differunt tantum secundum magis & minus E. Nam utraq; virtus tam heroicæ quam moralis refertur ad bonum civile & in eō duntaxat discrepant, qvod virtus heroicæ splendidiū finem attingat vid. Piccol. grad. 6. c. 5. B. Wendel. Philos. Pract. p. 472. II. qvia virtus communis & heroicæ conveniunt definitione, fine, & objecto. Ambæ enim intendunt felicitatem civilem & versantur circa affectus moderandos. III. Ubicunque datur eadem forma, ibi distinctio specifica locum habere non potest. Atqvi in virtute heroicæ & communi E. Maj. firma est, qvia forma est agens intrinsecum principale, si ergo h̄c inutroq; convenientia reperitur, in effectu nulla differentia inveniatur. Min. eluescit, qvia ambæ observant medium Geometricum, suo generi virtutē accommodatum. Constat itaq; in virtute heroicā non variari essentiam virtutis moralis, qvæ est geometricum medium, sed tantum variari terminos rationis. Objectiones, qvæ ex Thomā proferuntur, vid. ap. B. Wendeler. l. c. p. 472-473. seqq.

Quæstio III.

Utrum Virtus heroicæ etiam cadat in fœminas?

§. 1. Qvanquam sine sexu fœmineō (ut utar verbis Clas-
sis, Rudraffii Instit. Moral.) nemini contingat vel contingere
possit hac frui luce, tamen rigidi & temerarii censores inveni-
untur, qui contemnitimè illum habentes, per calumniam o-
mnem ipsis virtutem volunt ademtam, & communem & heroicā.
Qui licet nil nisi stultitiam prodant propriam & insig-
nes

nes judicii defectus, palliare tamen student temeritatem aliorum jocosis olim datis descriptionibus. Nobis certum est, quod omnino multa singularia ac specialia fœminis competentant. Qvis ignorat, si secula conferimus, quamplurimarum matronarum eruditionem? Unicum exemplum sufficiat, quæ ex Cassiodoro refert Clar. Rudrauff de Amalasventha, Theodoricu Ostrogothorum in Italiâ regis filia, quod tanta eloquentia & scientia fuerit, ut nemo ipsam sine veneratione videre, fine admiratione audire potuerit præter Latinam & græcam, omnium nationum, quibus cum Romanis aliqua esset consuetudo, ex actissimè calluerit lingvas.

S. 2. Cum itaque certum, mulieres multis inclinuisse rebus gestis, etiam absurdum non erit iisdem adscribere virtutem heroicam: Quod I. Confirmamus à præsentia dispositionis: Ubicunq; ergo datur dispositio ad virtutem heroicam ibi etiam dari potest habitus. Argvi in fœminis E. Maj. prob. quia dispositio est qualitas, cui superaddi potest alia qualitas inhaerens, quæ habitus est. Min. constat, (si καὶ ἀνθρώποι disputemus juxta sententiam Galeni. Qui dispositionem ad virtutem temperamentum sequi asseruit,) quia eodem gaudere possunt temperamento fœminæ, quam viri; deinde utriq; sexui rudera imaginis divinæ supersunt, quæ ad virtutis habitum conferre dicuntur. Accedit & illud, quod uteq; sexus secundum reclam rationem agat, & sic actiones probas prodere possit, ex quibus actionibus virtuosis demum habitus oritur.

S. 3. II. Ex Sufficientia causæ principalis. In quoconque subjecto reperitur sufficiens virtus causæ principalis, in eo virtus heroicæ esse potest. Atq; in fœminis E. Maj. certa ex canone Metaphysico; positâ causâ in actu agendi, ponitur effectus. Min. patet, quia Deus, tanquam causa principalis virtutis heroicæ æquè in fœminis actio Virtutis operatur, & sicuti actiones viri dirigit, ita etiam ad actiones fœminarum concurre potest & actu concurrit, veluti exemplorum fides demonstrat.

S. 4. III. A

§. 4. III. A præsentia oppositi. Cui competit oppositi
tum feritas, ille etiam possidet virtutem heroicam. Atqui fœ.
minis E. Min. Cl. Rudrauff. stabilit. ref. Diodor. I. 4. c. 3. ab
Hecate, ex Perse Taurica Rege orta, qvæ præter id, qvod
herbarum & beneficiorum, qvorum fuit peritissima, ministri-
o & Patrem & plures alios è medio sustulit, feritate paternâ
nihil inferior, sagittis transfixisse, qvosq; voluit, atq; hos
spites ad aram Diana, sive terrâ sive mari adfuerint, crudelissi-
mè mactasse dicitur, rata per hoc nomen in plures gentes famâ
iri diffusum.

§ 5. IV. Ab exemplis tum veteribus ut Judith, Judith.
Iz. Jael. Jud. 4. Reginæ Amazonum, Penthefileæ. Item Arte-
mis Reginæ Carie, de qua Herod. I. 1. tum recentioribus, ut
Elisabethæ Reginæ Anglia, cuius ingenii aciem & animi ma-
gnitudinem quilibet tunc temporis admiratus est. Nec non
Margarithæ Valdemari III. Danorum Regis filiæ, qvæ Aqvino
Norvegia Rege mortuo, duo regna rexit.

Quæstio IV.

Qvodnam sit Subiectum virtutis heroicæ?

§. 1. Ardua satis illa controversia, diu quoque ventilata,
qvodnam sit proximum subiectum virtutis moralis; Qvod au-
tem de ea dicitur, illud quoq; de nostra affirmandum.
Qvidam virtutem moralem in intellectu residere autuant, ut
Socrates, qui virtutem moralem olim per prudentiam & sci-
entiam definivit, uti ejus mens patet ex I. 6. Ethic. c. ult. σωφρόνις
ταῦτα εἶπεν οὐτοί εἴναι, ἐπισήμων γάρ εἴναι πάστοις. Quidam
censent, appetitum sensitivum esse subiectum, qvam sententiam
defendunt Alcinous, I. de doctr. Platonis c. 31. Acciajulus I. 5.
Ethic. c. 1. Hennigus Arnicensis in nota ad Log. Crelli p. m. 28. &
29. præcipue acriter propugnat Franc. Piccolom, grad. IV. Mo-
rali

al. Philos. c. 8. seqq. ubi octo rationibus suam sententiam stabiliter conatur, quidam simpliciter omnes virtutes ad solam voluntatem tanquam subjectum referunt ut nullam excipient, ut Scotus. 3. Sent. dist. 33. qv. 1. quem sequuntur exemplares alii ut Gabriel in 3. dist. 23. q. 1. dist. 33. q. 1. Ockhamus in 3. q. 10. n. via. clar. Rudrauff. l.c. p. 154.

§. 2. Hæc quidem occurunt, quando queratur, in qua facultate virtus moralis collocetur, nec tamen desunt, quam plurimi, qui diversam sententiam fovent circa nostram prolatam questionem. Eodem enim modo nonnulli virtutem heroicam ad intelligendi facultatem, sive ad mentem pertinere existimant; nonnulli ad appetitum sensuum referunt, in qua opinione versatur Piccolom. grad. VI. c. 6. p. 541. Loquens, itaq; dicit, de virtute heroicâ Peripateticorum, altero eam ad APPE-
TITUM SENTIENDI pertinere.

§. 3. Sicut autem prima Sententia falsa, ita nec posterior firma assuritur. Prius probamus I. quoad intellectum: Quodcumq; tantum perficit intellectum in cognitione veri, illud non est subjectum virtutum moralium. Atqui intellectus &c. E. Major extra omnem dubitationis aleam posita, cum juxta Philosophos virtus sit habitus præreticus, cuius subjectum unicè voluntas est; Accedit quod virtutes morales inde ab intellectualibus distingvuntur ac hisce opponantur. Min. propria luce radiat, cum intellectus, definiente Excellentissimo naturæ interprete B. Sperlingio in Anthropol. Phys. c. 3. p. 102. sit facultas animæ rationalis ad verum cognoscendum ordinata. Plura qui desiderat audeat Hornej. in Instit. Mor. 13. c. 1. num. 8. & 9.

§. 4. II. Qvâ apperitum sensitivum, confirmamus, eum subjectum esse non posse, ex conditionibus, quas ponunt Thomas in 1. 2. qv. 56. artic. i. & 3. & Greg. de Valentia Tom. 2. dist. 5. q. 2. punct. 1. quarum prima est, ut sit potentia animæ, secunda ut sit aliquo modo rationalis: Tertia ut habeat actum confirmatum, qui non ordinetur in actu alterius potentia, tanquam

quam in terminum & complementum suum. Unde ex 2. conditione apparet, potentias animæ vegetantib[us], q[ua]ia nullo modo rationales sunt, non esse subjectum virtutis: ex tertia videmus, q[uo]d appetitus simpleiter non sit subjectum cùm in complementum alterius in homine omnino ordinetur. Accuratus probat hanc sententiam Gabr. Vasquez super primam secundæ disp. 87.c.2.n.6. cuius verba bona fide citabimus: *Hac, inquit, igitur unicā ratione prima pars prædictæ opinionis mibi probabilior videtur, q[ua]ia in eā potentia non videtur collocandus habitus virtutis, q[ue] non potest ullō modo attingere actione suā formalem rationem & finem in materia & Objecto virtutis, nam cum habitus sit propter actionem propriam illius, ubi non potest esse actio, fr[on]tis est habitus: actio autem esse non potest, in eā potentia, q[ua] circa formale objectum actionis operari nequit, q[ui]a hoc non videat?* appetitus autem sentiens actione suā nullo modo attingere potest formalem rationem & finem in materia & subjecto virtutis: q[uoniam] formalis ratio objecti, ad quam fertur affectus virtutis studiofus est honestas in materia & in ipsā mediocritate objecti: diximus enim, ut aliqua actio sit virtutis, debere esse propter honestatem ipsam expressè: atq[ue] appetitus sentiens non potest ferri in ipsam honestatem, sed solum circa delectabile seu commodum operatur: ergo appetitus sentiens actione suā non potest attingere formalem rationem & finem in materia & objecto virtutis. Porrò autem licet appetitus obediatur rationi & voluntati tamen solum ei obediare potest, ut feratur, autem non feratur in propriam suum objectum, non autem ut feratur in alienum, ergo nunquam obedit voluntati, ut appetat honestum sub ratione honesti, q[ue] proprium formale objectum voluntatis, non ipsius appetitus. Hactenus Vasquez.

§. 5. III. Qvoad voluntatem, dicimus, eam non solam esse iubjectum, qvamvis primariò voluntati competat. Prius patet, q[ua]ia virtus Heroica non securus ac communes virtutes morales, occupantur in moderandis affectibus, q[ui] omni[n]d ad appetitum sensitivum pertinent. Posteriorius vero, q[ua]ia nulla facultas tantā gaudet libertate, qvā voluntas, virtutes

vero juxtra n^{on} excentur & qvilibet virtuosus suas a-
ctiones eò dirigit. Hisce itaqe praesuppositis sine aliquo
difficultate asserimus, virtutem heroicam ponit, ut in appetitu
sensitivo, r^{um} & maximè rationali, quod argumenta praesuppo-
sita satis evicisse arbitramur. Dicam scribit ipse Piccolom. grad.
VI.c.6. p. 541. cuius rationes conflictui reservamus

Quæstio V.

An Deus sit causa efficiens virtutis heroicæ?

§. I. In hac quæstione circa statum controversiæ aliquid
monendum erit, quod non simus solliciti 1. de concursu genera-
li, quod Deus per suam essentiam omnibus creaturis præsens est;
ita ut sine illo per momentum quidem existere non possint. Ubi
præsens Deus est non tantum ratione suppositi, quando inter a-
gens & patiens nullum aliud intercedit suppositum sive res singu-
laris, sed etiam ratione virtutis, quando influit vittute propriâ
in effectum, nec 2. de concursu Dei solitario seclusis actionibus
humanis. Cum enim virtus heroicæ sit habitus, causa secunda
etiam aliquid operari tenetur, ut per crebras actiones perve-
niat ad perfectionem, nec 3. de causa efficiente secunda, quae
creature sunt, sed potius de causa efficiente primâ. Rem ac-
curatè explicat Cl. Rudrauff. l. c. dieens: *Principalis & prima-*
ria causa virtutis heroicæ est specialis Dei influentia, specialis
Dei instinctus, impulsus vel afflatus, non quidem immediate
violentus raptus & afflatus simpliciter fanaticus, sed ordinarius,
mediatus respiciens nihilominus causas secundas, quas ita
instruit & disponit ut opus arduum & prægrande perficiendum
*perficere queant, inque ipso conatu, ad quem excitat, juvat, ele-
vat & extraordinariè, usque felicissimus eventus, in labore &*
ferore

fervore sustentat, non ergo excludimus naturæ habilitatem
vel capacitatem, justam actionem, rectam educationem, la-
borum continuationem, & quæ sunt alia, quæ opus extraor-
dinarij juvare possunt nec 4 solliciti sumus: an subtilia
virtutum excludenda, inter quæ referuntur Constantia la-
boris in perficiendo opere, ut opera maxima non tepidè, ac
trepidè, sed egregiâ alacritate magno calore ac molimine
suscipiantur ac persicantur, quia cettum quod Julius Caesar
omnia expediverit unde à raffa M. querit. Alexander vo-
latu totum mundum Imperio suo redegerit. Jonathan
in Sacris impetu perpetuo, Samson abrupto consiliò. Lu-
therus maxima laboris constantia veram de Deo doctrinam
ex tenebris plusquam cimmeris revocaverit. Sed 5. queri-
tur, an Deus specialiori concursu concurrat ad heroicam
virtutem perficiendam, & illud est, quod affirmamus. Ubi
ramen illa specialis influentia, tum ad infideles extra ecclesi-
am, quam fideles intra ecclesiam pertinet.

§. 2. Et illud confirmamus, I. quicquid est divi-
num, illud speciali concursu à Deo proficitur. Atqui
Virtus heroica E. Min. ex definitione constat, quod sit habi-
tus divinitus quibusdam concessus, ut proinde Liebenthal.
I. c. §. 8. asserat: Unde sequitur per hanc virtutem intelligi
non tam occultum quam raptum quam naturalem indo-
lem, cui DEUS peculiari benedictione singularem & pecu-
liarem honestatis ac divinitatis ardorem indidit, unde post
modum eximii & admirabiles ad maxima tentanda & perfi-
cienda impetus exsurgunt. Hinc neminfacta heroica imi-
tari fas est, nisi eadem VI DIVINA instructus fuerit. Facino-
ra enim heroica vires humanas superant & longè majora
sunt, quam ut ab homine naturaliter perfici valeant. II. Se-
queretur aliás, virtutem heroicam simili ratione cum cœte-
ris communihominum naturæ competere & ab omnibus in-
distincte hominibus comparari posse.

B 3

Quæstio

Quæstio VI.

Utrum liceat homini pro vitanda miseriâ,
vitio vel feritate , nonnunquam mortem
eligere ?

§. 1. Ardua satis hæc quæstio est, ita ut non dum Autores inter se consentiant. Ut autem eō melius certi quid statuere valeamus, dicendum, quod non quæratur t. num alius quis sibi manus violentas inferre possit, id n. facile negamus. Sicut enim is qui sibi morte confiscit, Dei ordinem turbat, qui solus virtus nostræ autor & princeps est, jus habens dandi & adimendi, ut Seneca dixit : *Veniat, qui occidat, expedita quid occupas alienum negotium*: Ita & abutitur Divina bonitate. A DEO vitam tanquam nobilissimum bonum accepimus, ut ejus gloriam amplificando, qui dedit, debito modo Autoris istius benignitatem agnoscamus, gratitudi nem̄q; nostram exhibeamus, qui autem seipsum hoc bono privat ne agnoscat quidem hoc beneficium. Vid. Cl. Rudraff. l.c.p. 187. Nec (2.) solliciti sumus de morte hominis impii, quem mala scelerū vita scelerat transacta conscientia torqueret, cum nisi seria eam antecedat poenitentia, præceps ad æternum exitium sit transitus. Nec (3.) de morte hominis naturaliter considerata, hæc enim est omnium terribilissimum cum tripliciter mors considerari possit: primò quatenus mala est, & sic est præter naturam, & præsertim præter naturam compositi & præsentis formæ, quâ consideratione vera est sententia Aristotelis in secundo de cœlo. Secundò referri potest ad principale institutum naturæ, ac ita quoq; non est secundū naturam. Tertiò referri potest ad secundum institutum naturæ, ac ita dici potest à natura & secundum naturam: Nec 4. de miseriâ aliquâ apparenter tali sed de eâ, quâ reverâ talis est, sèpè enim eligimus mortem propter minus malum, compаратum

ratum cum deferiore. Sed s. quæstio instituitur utrum homo
Christianus mortem non nunquam eligere possit, & illud
approbamus I. Qyicunq; destinato consilio, rectâ ratione,
legi divinæ conformiter, animo constantissimo & intrepido,
bonitate causa confisi, in DEI gratiam, Ecclesiæ commo-
dum & proprium emolumenatum, gravissima pericula &
exquisitissima pericula subeunt, illi mortem eligere possunt.
Atqui quidam homines & præprimis martyres E. Maj. nullâ
indiget confirmatione. Min. exemplis stabilitur, nonne Ignatius
læto & triumphanti quasi animo exclamavit? Frumentum
Christi sum & per dentes bestiarum immolor, ut
mundus panis inveniar! nonne Polycarpus Ignatii discipu-
lus, qvam sponte & libere pateretur, hisce significavit? Ni-
hil opus est clavis, sponte ignem sustinebo: nonne Lauren-
tius craticulæ impositus, eluso tyranno dixit? Assum est,
versa & manduca. II. Qyicquid est via ad vitam meliorem,
illud etiam positis circumstantiis interdum appetere licet
Atqui mors. E. Nam circumstantiæ attendantur seqventes:
ne virtus vel vita honeste acta fodetur. Secundò ut in me-
moriâ superstitionis celebres servemur & per ora eorum cir-
cumferamur. Tertiò ut vitam alteram potiorem assequa-
mur. Qvorum ultimum maximè ponderis est, ita ut qui ad
futuram adspirare vitam volunt, rectâ ratione teneri præsen-
tem nonnunquam de relinqvere. III. Juxta Piccolominum
probat Aristoteles, mor. ad Nic. c. 9. dicens: honestam mor-
tem turpi saluti esse preferendam & l. 3. c. 1. assertur: esse quædam
ad qua non licet quenquam esse compulsum, sed potius oportere
summa perpeccum tormenta, mortem obire. Averroës in
procem. lib. Phys. ait: virum sapientem nonnunquam mortem
præligere, ut Socrates fecisse affirmant. Et simplicius in Epictet-
um inquit: malum non esse quam male esse. Aristoteles l.
9. moral. Nicomachic. c. 8. ait: Insuper verum si iam illud
est, quæ de bono virò dici solet, cum multa amicorum & pa-
triaæ causæ agere: Atque etiam si usus postulet, corundem
gratia

gratia mortem minimè gravatè appeteret. Etenim negligit
ille opes, honores, cœteraque bona, vulgo magna conten-
tione quæri solita. Cœterum ita ac non aliter illa negligit,
ut sibi honestatem per id paret. Mayult enim paulisper vo-
luptate magnâ perfri, quam diu remissa: unum annum ho-
nestè vivere, quam multos temere & absq; insigni dignitate.
Unam deniq; actionem magasim & honestam anteponit mul-
tis & iisdem parvis. Atqui omnibus his ille fortasse poti-
tur, qvi pro patria vel amicis occumbit. Hæc ille.

Quæstio VI.

An Lutherus dici possit Heros?

S. 1. Papistæ eqvidem nostro Megalandro invident,
& quam plurima è yuñuata in eum projiciunt, ita quidem
ut dicant eum ex incubo esse progenitum, vel etiam Diaboli
familiaritate usus fuisse confer. Cornel. à Lap. in Com-
ment. 2. Petr. 2. v. 4. Verum hæc omnia esse pura figura
crassa & virulenta mendacia, ejus scripta historiæque publica
testantur, nos potius eundem veneramus & hoc laudabili
in signi mus titulo, quod revera debet & dici possit heros.

S. 2. Quam sententiam stabilire valemus I. Ex he-
rois definitio. Cui competit definitio, ei & definitum,
Nostro Megalandro E. Min. prob. qvia heros nihil aliud est
quam qvi peculiari numinis coelestis providentiâ excitatus
singularebusq; donis communem Mortalium sortem exce-
dentibus exornatus actiones ut admirabiles sic etiam aliis
minus imitabiles successu longè felicissimo perpetrat. Hæc
autem ad Lutherum accommodare quis dubitat? Ex Eventu
enim facile judicare valemus, nisi enim Deo facta hujus he-
rois placuerint, tales progressus felices imò felicissimos nun-
quam habuisset.

II. Ex Herois requisitis, quorum 1. est summa constanteria; & 2. admiranda felicitas. In quoque igitur haec requisita reperiuntur, ille etiam heros est. Atqui in Lutherio. E. Min. quoad prius probatur ex Cl. Rudrauff. l.c. p. 470. quod constantissimus & gravissimis periculis proorsus imperterritus fuerit, ut nunquam cespitarit, nunquam trepidarit. Toto fere mundo adversus eum fremente ipse adversus omnines exitit animosissimus, gratia Dei firmatus, bonitate causa confirmatus, nihil dubitans de veritatis felicissimo successu. Inter plurima heroici animi specimina, unum ut referamus & recolamus, magnum era, Lutherum à Carolo V. Wittebergā Wormatiā vocatum, ut Imperatori omnibus quae Imperii Proceribus in medio quasi inimicorum constitutus, rationem redderet fidei suæ, nullis persuationibus, nullis demonstrationibus eò adduci potuisse, ut sibi consultus conventum declinasset & absentiam excusasset, sed contempto omni periculo, magno animi labore hac repouisse verba: Mihi verò, quia vocatus sum, decretum & certum est ingredi in nomine Jesu Christi, etiam si scirem, tot Diabolos mihi oppositos, quos sunt tegulae in omnibus totius urbis teatris &c. Ita ergo urbem est ingressus, sese Imperatori & Principibus exhibuit. Accedit, quod ipse Lutherus ad Electorem Fridericum & Fratrem ejus hæc scribere verba non dubitaverit: Oppugnavit me (vid. Tom. 7. Witteb. Lat.) summis viribus totus orbis terrarum, ac tam, quam fuit ipsorum omnium imperii vehementior, eò facit majores progressus doctrina mea. Quid ita? Nihil ego violenter egī, nullum motum excitavi, non cupidus vindictæ fui, sed Magistratum civilem reverenter colui, scriptis etiam meis exornavi, quantum in me fuit, & quod præcipuum est, rem DEO committens in ipsius potentia totus acqvieci: sic adeò servatus sum in hunc usq; diem (fremant licet Pontifex omnesque adversarii) & simul mea doctrina multos ad populos dimanavit. Posterioris quod attinet successus omni adversariorum spe

C

(sunt

(sunt verba Rüdr.) aut opinione major deprehensus est & adhuc per DEI gratiam deprehenditur. Qvis enim ex Adversariis credidisset, misellum huic Monachum tam animosè potentissimis aduersariis repugnaturum, tam constanter veritatem defensurum, tamqve feliciter, sine ulla externa violentia, sine ulla mundana potentia, sed sola causa bonitate nixum, lucem à tenebris segregaturum, veritatem à falso separaturum, orthodoxiam à fermentis pharisaicis, id est, traditionibus papalibus liberaturum & per totam germaniam atqve extra eam ad remotissima Regna disseminaturum & propugnaturum fuisse? Qvis ergo hunc postrema ætatis Eliam, Germaniæ Prophetam, currum & aurigam Israelis, ut Philipp. Melanchton ipsum vocavit. Hutteri Concord. Con. præfat. Apolog. c. 3. nomine & dignitate heroica non judicabit dignum.

Questio VIII.

An Heroum filii sint noxae?

S. 1. Sicut quasi fatale est bonorum virorum degeneres habere filios infortunium, qvod felicitatem reliquam non leviter debilitat, ita non minima felicitatis pars est, si cui contingit ex fortib⁹ magnanimis heroibus procreari & nasci. Nam commune est proverbium qualis avis tales ovum & qualis arbor, talis fructus hinc dicimus der. Appel fällt nicht weit von Stammie. Unde egregiè Poeta:

Fortis creantur fortibus ac bonis

Est in iuventis est in equis Patrum

Virtus, nec imbecillem feroce

Progenerant aquile columbam.

S. 2. At

§. 2. At enim qvamvis (qvod negari à nomine facile potest,) interdum à parentibus generosis viles & fatui procreari soleant liberi, id tamen naturæ generosæ qua rati, adscribendum haud est; cum alia plures hujus degenerationis suppeditari queant causæ, qva vid. ap. Wendel. p. 154. Christ. Math. qv. 2. Inter qvas ferè principes est neglecta orientis ætatis educatio, qvæ vitæ rectè traducendæ fundamentum, tantum in reliqvas ætates, in totam vitam, in familias, civitates terrarumq; orbem ipsum importat detrimeti, quantum non potest paucis explicari vid. Arist. l. 8. Politic. c. 1. qvippe error in principio per exiguis, in fine maximus esse deprehenditur ceu idem docet l. 1. de col. t. 33. Heroës autem negotiorum qvæ mole Oppressi, curis variis distracti, liberorum educationem raro inspiciunt, qvi plerumq; ve alieno core ruptissimarum nutricum lacte nutriuntur. Qibus accedunt blanditia parentum, nimia indulgentia & amor, qvō occæsati, qvidvis liberis concedunt & vanas promittunt libertates atq; delicias, qvæ postea magnorum malorum cause sunt. Promissimè enim liberi parentum acceptant mollietatem, à sole ac pulvere, quantum possunt, carent sedulò, neq; animum ad laudabilia facinora applicare curant qvo dePlut. πάθη πατέρων, αγαθοί. Aristotel. l. 7. Polit. c. 17. Gvazz. de Civ. conf. disp. 5. p. 310.

Quæstio IX.

An virtus heroica omnium ætatum sit?

Ætas parentum pejor avis, tulit

Nos neq; viores mox datus

Progeniem vitiösorem.

Ita quidem Lyricorum Poëtarum Princeps Horatius l. 3. od. 6. cecinit. Hinc facile aliquis, utrum Spiritus herorum variis flagitiis omniumq; scelerum generibus non extinctus fuerit, subdubitare posset? Verum enim vero non fides aut vita sanctimonia, sed oq; potius ~~θεόσδοτος~~ Virtus heroica cau-

sa est. Habuit eerte Græcia suos Ajaces & Hectoras, Roma
suos Cæsares, Camillos & Fabritios. Nostra quoq; ætas virtute
hac non omnia destituitur, qvemadmodum & hoc & supe-
riori seculo Ecclesiæ suæ Rebusq; publicis nutantibus fortis-
simorum Regum & Principum brachiis divina clementia suc-
currere & voluit & potuit. *Postis enim causis*, inquit Heid.
effectus quoq; poni oportet. Neq; verò putandum, si interdum
nulli nobisq; sunt, Heroes ubi iugis Locorum nullos reperiri. Ut n.
virtus communis ita et heroica per seum terrarum orbem dif-
funduntur, Sape tamen strei bene gerenda non detur occasio sum-
ma ingenia in occulto latent. Benè hanc in rem Poeta.

Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?

Publica virtutis per mala facta via est.

Nec obstat, qvod nostra ætate Heroes corporis robore pristi-
na tempora non attingant. Sic Milonē omnia supra commu-
nes naturæ vires egisse, suaq; manu taurum fecisse victimam
historiarum referunt monumenta. Plinius Libr. 2. scribit in
Cretâ, cum terræ motu mons aliquis disrumpetur, cadaver
quadraginta sex cubitorum fuisse repertum, qvod Orionis
quidam fuisse arbitrati sunt. De Castrito pandectæ Turci-
æ certiores nos faciūt, qvod prægrandi ponderosoq; acina-
ce medios hostes ad umbilicum dissecuerit, transversos divi-
serit, sœpeq; per cervicem integros cum humeris brachiorum
artus facilè detruncaverit. Sed non ex stupendâ corporis
vaſtitate, verum ex singulari potius & inusitata animi condi-
tione Virtutem heroicam judicamus, cum vaſtissimi corpo-
ris homines extrema audacia profligatae, malitia upluri-
mum sint studiosi. Aliam præterea ob causam sapientissimq;
omnium rerum Conditor stupendam ejusmodi progeniem
creavit. *Gigantes* inquit August. l. 15. de Civitate Dei c. 23. pro-
priea creare placuit Creatori, ut etiam hinc ostenderet, non
solum pulchritudines verum etiam magnitudines ac fortitu-
dines corporum non esse magni pendendas sapienti, qui spi-
ritualibus atq; immortalibus longè melioribus atq; firmioris-
bus & bonorum propriis, non bonorum malorumq; ve
communibus beatificatur bonis,

SOLI DEO GLORIA!

WITTENBERG, DISS., ERGÄNZUNG, 2.

1668/1708



b77

Witt
D
Epi
166

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

Q. D. B. V.

DE


1928 K 944

SP.

L 277

VIRTUTE HE.
ROICA,
SUB PRÆSIDI
M. JOHANNIS FRIDERICI
Schulzen / Jutreboc. Sax.
publicè disputabit
JOHANNES GEORGIUS Schubart /
Steinà. Silesius
In Auditorio Minori

Die XXX. Maj.
Horis matutinis.



VVITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS BORKARDI, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXIV.

1674

7008

